

dotestatem in stationibus suscipere, is cui documentum extra ea quæ a nobis disposita sunt per præsentem legem, injungitur, tabellio quidem cadat omnibus modis hac causa: alter vero pro eo constituatur: nihil omnino damnificando ex hoc stationibus domino quicunque fuerit extraneorum, et non ipse tabellio, neque cadente lucris exinde venientibus: sed illo solo qui talia perpetravit, et dedignatus est suum complere opus, primatu cadente: omnibus quidem aliis super stationis jure integris dominis ejus ab ipsis tabellionibus qui talia peccaverunt, servandis.

§ 3. Et non fingant tabelliones occasiones, per aegritudinem forte discedentes, aut occupationes hujusmodi: licebit enim eis, si quid tale fuerit evocare eos qui contrahunt, et per se causam complere: proinde hæc quæ contingunt raro, non impedimentum faciunt universis, eo quod nihil inter homines sic est indubitatum, ut non possit (licet aliquid sit valde justissimum) tamen suscipere quandam sollicitam dubitationem, sed nec quastus eorum minores fieri per hoc, propter contrahentium frequentiam occasionem habentes: cum melius sit pauca agere caute, quam multis interesse periculose. — § 4. Ut tamen non vehementer eis dura lex esse videatur, nos concientes humanam naturam mediocres etiam eis leges nostras ponimus, propter tales enim eorum forte dubitationes damus eis licentiam singulis unum ad hoc constituere (gestis apud clarissimum magistrum census felicissimæ civitatis solemniter celebratis) et licentiam ei dare, ut delegentur ei ab iis qui veniunt ad ejus stationem et documenta, et dimissis eis interesse: et nulli omnino alteri in statione existenti, licentiam esse, ut aut delegetur ei infirmum, aut cum dimittuntur, intersit: nisi tabellioni qui auctoritatem habet, aut qui ab eo ad hoc statutus est. Si vero præter hoc fiat, et alter delegatur: tunc subiacet pœnæ tabellio, qui auctoritatem habet a nobis dudum definitam: ipsis tamen documentis propter utilitatem contrahentium non infirmandis. Novimus enim quia legis metu de cætero et ipsi custodient quæ a nobis decreta sunt, et documenta sub cautela faciunt.

CAP. II. Ut tabelliones in protocollo describant, idque cum die et consule.

Illud quoque præsentem adjicimus legi, ut tabelliones non in alia charta pura scribant documenta, nisi in illa quæ in initio (quod vocatur protocolium) per tempora gloriosissimi comitis sacrarum nostrarum largitionum habeat appellationem, et tempus quo charta facta est, et quæcunque in talibus scribuntur: et ut protocolium non incidant, sed insertum relinquunt: novimus enim multas falsitates ex talibus chartis ostensas et prius, et nunc: ideoque licet aliqua sit charta (nam et hoc sancimus) habens protocolium non ita conscriptum, sed aliam quandam scripturam gerens, neque illam suscipiant, tanquam adulteram, et ad talia non opportuna, sed in sola tali charta, qualem dudum diximus, documenta scribant. Hæc itaque quæ de qualitate talium chartarum a nobis decreta sunt, et de incisione eorum quæ vocantur protocolia, valere in hac felicissima solum civitate volumus, ubi plurima quidem contrahentium multitudo, multa quoque chartarum abundantia est, et licet legali modo interesse negotiis, et non dare occasionem quibusdam falsitatem committere, cui se obnoxios existere demonstrabant, qui præter hæc aliquid agere præsumpserint.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc sanctam declarata sunt legem, tua celsitudo operi effectuique tradere festinet. — Dat. 19 kal. septemb. *Constantinop.*, post *Belis. V. C.* Cons. anno 2.

TIT. XXIV.

**UT NON LIBERENTUR CURIALI FORTUNA JUDEÏ, NEC SAMARITANI, AUT HÆRETICI, OCCASIONE EORUM RELIGIONIS, SED CURIALIBUS QUIDEM FUNCTIONIBUS SUBJACEANT, PRIVILEGIIS VERO CURIALIUM NON FRUAN-
TUR: POSSE VERO EOS CONTRA ORTHODOXOS QUOD SUBJACEANT CURIALI FORTUNÆ, TESTIMONIUM PERHIBERE, UT QUI ET PRO ORTHODOXA POLITIA RECTE TESTIMONIUM PERHIBEANT.**

NOVELLA CONSTIT. XLV.

Idem *Imp. Joanni P. P.* iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Verbum quoddam nobis tua retulit eminentia, quosdam inter curiales

2 L. 3, 4, 5, 6, D. de legib.
Tit. XXIV. — 1. l. 1, C. de hæreticis: L. 13, l. 49, C. de decurionib.: fac. L. 5, l. 10, C. de Judæis. — 2. d. l. 49, l. 5, in fin. D. de decurionib. — 3. L. 25, D. d. t. — 4. L. 21, C.

esse Judæos forte aut Samaritas, aut Montanistas, aut aliter respuendos homines, quibus nondum hactenus recta et immaculata fides illuxit, sed et in tenebris sedent animis vero non sentientes sacramenta: et quoniam hæreticos odio habemus, putant per illam occasionem liberi curialium esse functionum, et quæ competunt his, declinare. Nos igitur mirati sumus, si sapientia et acumen tuum tales eorum perlulit rationes, et non repente talia dicentes dilacerasti. Si enim homines quidam sunt, qui quidem putant propter novissimam absurditatem illa promereri se premia, quæ solis maximis dignitatibus reservavimus, quis non eorum habeat exosam inverecundiam et stultitiam? Quapropter curiam exerceant hujusmodi homines, et nimis ingemiscetes, et curialibus functionibus, sicut etiam officialibus, ut dudum sancitum est: et nulla religio ab ejusmodi eos excipiat fortuna, (horum enim nihil neque antiquorum qualibet legum, neque novellarum dictum est) indigni tamen curiali sint honore, et quoniam leges plurima curialibus præbent privilegia, et ut non cadantur, neque ad aliam ducantur provinciam, et alia plurima, horum nullo fruuntur, sed si quid scriptum est de curialibus, quod non confert privilegium, hoc etiam in his valet, et compleant corporalia et pecuniaria munera et nulla ab his eripiat eos lex: honore vero fruuntur nullo, sed sint in turpitudine fortunæ, in qua et animam volunt esse. Sic igitur eis de hoc dispositum sit.

CAP. I.

Illud quoque nunciasti dignum questione tua natum. Quia enim hæreticos testimonium perhibere prohibuimus, quando orthodoxi inter alterutros litigant, dantes eis per nostram constitutionem, siquidem inter alterutros misceantur illi et litigent, et uterque hæreticus sit, actor et reus, posse testimonium perhibere, dignis adinvicem existentibus, et litigantibus, et testimonium perhibentibus: si vero rursus hæreticus et orthodoxus, contra hæreticos quidem etiam valde dari testimonium orthodoxo, adversus orthodoxum autem nequaquam: orthodoxis quoque existentibus litigatoribus nullum esse penitus accessum illis ad testimonium perhibendum. Docuisti igitur nos quod quidam orthodoxi constituti refugiant curialis esse fortunæ, et necessitatem subire perhibendi testimonii eos qui illi genere juncti sunt, vel qui alias aliquo modo eorum sciunt fortunam. Et quoniam lex eorum suspendit super orthodoxos testimonia, propterea iudices piguisse hoc admittere, cumque in vanum metuant invicem, qui hujusmodi dubitant recipere testimonium, primum quidem pro orthodoxis fiunt, (hoc autem leges agere hæreticos non prohibent) deinde si existentes curiales postea contra fortunam reluctantes trahit quispiam ad curiam, et hæreticos ad testimonium vocat, quomodo non hoc pro nostra agit republica? ut sit quidem republica litigans orthodoxa, et maxime ex quo nos Deus dedit imperare: qui autem super hoc testantur, pro orthodoxis perhibent testimonium. Conversatio enim nostra recta est, et plena orthodoxa fide, omni alia hæresi merito constituta sub odio.

EPILOGUS.

Et hoc igitur tua eminentia custodiat, nostram cognoscens mentem, et quod reipublicæ expedit commemorans, et sciens per omnia, quia illa nobis agere et sancire lege studii est, quæcunque nostræ prosunt reipublicæ. — Datum 15 kal. septemb. *Constantinop.*, post consulatum *Belis. V. C.*

COLLATIO QUINTA.

TIT. I.

DE ECCLESIASTICARUM RERUM IMMOBILIUM ALIENATIONE ET SOLUTIONE.

NOVELLA CONSTIT. XLVI.

Imp. Justin. August. Joanni gloriosiss. sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Et circa leges studium, et alia omnia a nobis ideo quotidie cum labore aguntur, ut utilitatem nostris subjectis inveniamus: quod effusum quidem immensumque est, removens, quod autem et optimum et me-

de hæreticis. — 5. d. l. 21.
Tit. I. — 1. Adde N. 7.

ritum, subrogantes. Sæpe quoque ex studio propter priorem immensitatem etiam ultra mensuram legem constrinximus: ut quod primitus effluabat retinens, ita aequalitatem de cætero introduceremus. Nuper igitur scripsimus legem de sanctissimis ecclesiis omnibus, et monasteriis, et reliquis venerabilibus domibus, nullam esse eis rerum immobilium alienationis licentiam permittentem. Videbamus enim causam effusam, et paulatim ad alios ecclesiasticas migrantes possessiones, neque pretiis solutis dignis, neque opere inevitabili imminente alienatis: sed etiam contra positas jam leges, decies millies circumventiones factas. Quocirca primam perimentes viam, omnibus similiter inaccessibilem contra earum facinus circumventiones. Sed hinc pleræque quidem sanctissimarum ecclesiarum aliarumque venerabilium domuum utilitatem habuerunt possessiones, nullo has minvere præsumente. Occurrit tamen etiam aliquid difficile, debita enim aut longo tempore constituta, aut etiam postea ex quadam necessitate, et maxime per fiscales occasiones eis accidentia, ad alienationis necessitatem sacras perduxerunt domos. Mobili enim non exstante substantia sufficienti, periclitabantur in novissimam venire necessitatem harum præules, neque vendere potentes, neque unde debita solverent habentes. Sed pro talibus quidem debitis posse pro solutione creditoribus dari possessiones ecclesiasticas: tamen cum competenti subtilitate et observatione faciendâ solutione, jam sæpe permisimus: sicut neque palam hoc nostra prius permisimus lege. Si vero non privatus aliquis est creditor, sed imminet fiscus, et exigit debita, est autem inopia pecuniarum, accipere vero immobilium possessionem impossibile est: fisco hic relaxare aliquid, subtilitate legis competere judicavimus. Et si qua necessitas hujusmodi fiat, etiam alienationem sinere perspeximus.

CAP. I.

Sancimus igitur, si sanctarum aliqua ecclesiarum aut reliquarum colendarum domuum fiscales debeat functiones, et unde faciat harum redditionem, non habeat: convenire omnes in unum et quæ ex clero sunt, et Deo amabilem episcopum ejus civitatis, insuper et metropoles, et sacris propositis eloquiis causam examinari: et si non apparuerit ullus quæstus citra alienationem immobilium rei valens solvere fiscale debitum, tunc licentiam eis esse sententia tali procedente, et decreto celebrato apud provinciam iudicem, etiam possessiones immobiles contingere, et eas alienare ad solutionem debiti: ementibus quidem, in fisco solventibus, et de suscepta inde percipientibus et subeuntibus fiscale debitum, et cautelam inde habentibus, et nihil metuentibus primitus positam legem: constitutis etiam fiscalibus de susceptis insinuat inter monumenta gestorum, deponentibus iis qui fecerunt ea, ut et apud sanctissimas ecclesias salventur data de suscepta, eo quod fiscalia soluta sint tributa, et omnia secundum nostram legem gesta sint: non potentibus aliquibus fingere fiscale debitum, et ita ad alienationem immobilium rerum accedere. Ideo enim et decreti factionem permisimus, ut et fiscale debitum testimonio pandatur, et ex quantis descendit temporibus, et quoniam non pecuniis solum est, sed in necessitate alienationis venit, ut veritas undique protestata sit: omnibus coram sacris Evangeliiis agendis: scientibus et episcopis, et clericis, et aliis omnibus, quia Deus respiciet que geruntur ab eis: et si quid egerint per dolum, aut lucrum, aut machinationem: hoc in suis recipient animabus viventes ac morientes.

CAP. II.

Si vero privatus aliquis creditor fuerit, possit secundum pro soluto schema accipere immobiles possessiones, hic quoque decreto faciendâ: pro mensura vero eorum debitorum assignandis eis possessionibus. Si vero fiscale debitum fuerit, potentibus eis ad alienationem immobilium accedere secundum priorem observationem: ut nihil desit neque subtilitatis neque communis utilitatis.

CAP. III.

His autem universis sanctissimam majorem ecclesiam felicissimæ hujus urbis, et ejus confinia, et orationum domos, quarum ipsa curam suscepit, omnibus excipimus modis quæ jam de hoc sancita sunt a nobis, in sua virtute durantibus. Si autem et aliqua monasteria sub eadem sanctissima majore ecclesia sint: nec ea sub præsentem facinus legem, forinsecis in provinciis eam constituentes solum, in quibus multa quidem est inopia pecuniarum, per quam sanctissimæ ecclesiæ solvere per pecunias debita non valuerunt.

EPILOGUS.

Tua igitur celsitudo, quæ placuerunt nobis, cognoscens, secundum hæc

2. d. N. 7. — 3. N. 120, c. 6.
Tit. II. — 1. c. 1, infr. — 2. c. 2, infr. — 3. Fer. L. ult. C. de annis et trib. N.

procedere super sacris rebus alienationes custodiat. — Datum 14 kal. sept. *Constantinop.*, post consul. *Belis. V. C.* anno 11.

TIT. II.

UT PRÆPONATUR NOMEN IMPERATORIS DOCUMENTIS, ET UT² LATINIS LITERIS APERTIUS TEMPORA INSCRIBANTUR.

NOVELLA CONSTIT. XLVII.

Imp. Justin. Aug. Joanni præfecto prætorio, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Illud omnium honestius esse putandum documentum, et gesta, et quod omnino pro temporis memoria hominibus adinventum est, quod ipsa quoque commemoratione ornatur imperii. Consules etenim et indicationes, et quodcunque iudicium temporum omnino est apud nos, sunt quidem forsitan et hæc significativa horum quæ volunt: non tamen nos aliquid horum perimus, sed majorem adjectionem eis imponimus: ut ex majoribus et perfectioribus eis temporum designetur cursus. Si quis enim respexerit ad vetustissima hominum, et antiquæ reipublicæ: *Aneas* nobis Trojanus rex, reipublicæ princeps: et non quidem *Aeneas* ab illo vocatur, sive quis etiam ad secunda principis respexerit, ex quo pure Romanorum nomen apud homines consucavit, reges eam constituerunt Romulus et Numa: ille quidem civitatem edificans, hic autem eam legibus ordinans et exornans: sive etiam tertia principia sumat quilibet imperii: *Cæsarem* maximum, et *Augustum* Pium: et ita reipublicam nobis inveniet hanc quæ nunc est valentem: sitque immortalis ab illis procedens. Erit ergo absurdum in documentis et iis quæ in iudiciis aguntur, et absolute in omnibus, in quibus memoria quadam sit temporum, non imperium his præponi.

CAP. I.

Unde sancimus eos quicunque gestis ministrant, sive in iudiciis, sive ubicunque conficiuntur acta, et tabelliones qui omnino qualibet forma documenta conscribunt in hac magna civitate, sive in aliis gentibus omnibus quibus nos præsidere dedit Deus, hoc modo incipere in documentis: *Imperii illius sacratissimi Aug. Imperatoris anno toto*: et post illa inferre consulis appellationem, qui in illo anno est: et tertio loco indicationem, mensuram, et diem: sic enim per omnia tempus servabitur et pro imperii memoria, atque consulatus ordine, et reliqua observatione interposita documentis, inadulterata hæc valde constituentur. — § 1. Si qua vero apud Orientis habitatores aut alios homines observatio custodiatur in civitatum temporibus, neque huic invidemus, sed præscribat quidem imperium: sequatur vero (sicut dictum est) consul et indicio, atque mensis, et dies secundum quam geruntur et conscribuntur quæ aguntur: et tunc inseratur etiam civitatis omnibus modis annus. Nos enim auferimus quidem priorum nihil, imperiali vero additamento causam augemus. Et inchoetur mox auctore Deo a precedente prima indicatione, ita quodammodo eis scribentibus: *Imperii Justiniani sacratissimi Augusti et imperatoris anno 11, post consulatum Flavii Belisarii clarissimi viri anno 11, die autem tot, et tot kal.*; sique in omnibus nominentur imperii anni, et nostri, in quantum eos Deus elongaverit, et de cætero imperatorum. Palam namque est, quia nunc quidem annum xi nostri scribunt imperii: inchoante vero aprili mense, et prima die, in qua nos Deus Romanorum superposuit rebus, xii annum scribent et ita de cætero donec nostrum Deus imperium extenderit: ut nobis etiam hæc causa super leges, et harum celebrationem continue maneat immortalis, dum memoria imperii omnibus simul interfuerit causis atque temporibus.

CAP. II. Ut tempora quæ latinis literis designantur apertius scribantur.

Illud quoque adjicimus, quoniam hi qui tempus in iudiciis designant, cum incertis illis, et antiquis literis hæc declarant, observetur in omni iudicio, ut post illas literas antiquitatis alias subdant, id est, has communes et omnibus notas, et quæ legi ab omnibus facile possint, et significare gestorum tempus, ut non fatigentur requirentes id tempus: deinde errantes expectent, donec hominem quemcumque comperiant literas illas pro veritate lecturum, sed si quidem reliqua etiam post præscriptionem

228. c. 1.

incertarum literarum, si græcæ sint vocis, græcis literis, subdi tempus: si vero latinus quidem totius chartæ consistat ordo, latinis quidem subscriptur tempus, interpositis istis incertis elementis: clariorem tamen ordinem habentibus literis, quas liceat omnibus legere omnino syllabarum latinarum non ignaris.

EPILOGUS.

Tua igitur eminentia, quæ placuerunt nobis, et per hanc sacram declarata sunt legem, et in hac maxima civitate, et in provinciis universis quibus præes, manifesta constituit: ut nullus præsumat aliter numerare tempus, aut aliud agere, sed ita sicut dudum decrevimus. — Datum kal. sept. Constantinop., imperante JUSTINIANO perpetuo Augusto, anno 2 post consulatum BELIS. V. C. anno 2.

TIT. III.

DE JUREJURANDO A MORIENTE PRÆSTITO, PROPTER MENSURAM SUÆ SUBSTANTIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XLVII.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Joanni præfecto prætorio, iterum exconsuli et patricio.

PRÆFATIO.

Semper hanc unam habemus intentionem, dispositiones morientium esse firmas: nisi resultent legi, et aperte contrariæ sint iis, quæ illi placent. Scimus igitur motum et annunciatum nobis, quia cum testaretur quidam, cum jurejurando suam substantiam omnem dixit, et quia hanc solam reliquit suis heredibus, aliqui vero eorum heredum ad hoc resulant, non juste facientes: quia substantiæ quidem illius heredes fiunt, et in hoc acquiescunt iis quæ ab eo disposita sunt: quæ vero dixit cum jurejurando, nequaquam hæc rata manere, neque custodire ea secundum competentem modum volunt: cum utique nostris videtur legibus unam quodammodo esse personam heredis, et ejus qui in eum transmittit hereditatem: ideoque nullus eidem sibimet edicit reluctari, et quod dixit atque juravit ratum esse, hoc nolle valere, sed contra proprios reluctari sermones.

CAP. I.

Sancimus² igitur, si quis descriptionem faciens, sive propria manu, sive per alterius quidem scripturam, a se autem subscriptam, aut in suis testamentis substantiæ suæ mensuram faciat manifestam, heredibus forte aliis quidem præsentibus, aliis vero absentibus, aut etiam omnibus præsentibus: non licere heredibus contra hoc resultare, neque dicere quia aliquis heredum celaverit res extra ea quæ dicta sunt a defuncto. Sed si quidem jusjurandum moriens præbuerit, et juraverit³ secundum sua testamenta, quia nihil est aliud ei præter hæc: hoc amplecti heredes, sive filii, sive etiam extranei sint, et neque tergiversari, neque calumniari suos coheredes, neque ob hoc servos quærere ad tormenta deducere, et alia similia discutere et perscrutari, quæ solius sunt contentions, alterius autem penitus nullius, utpote dum substantia videatur esse tanta, quantum testator jurans, hanc solam apud heredes inveniri voluit. — § 1. Sed hæc quidem inter hæredes qui curiosi videntur in defuncti esse substantia, valere volumus: non tamen hoc ratum esse et inter creditores: eo quod nostris declaratum est legibus, quascunque quilibet pro⁴ se dixerit, aut scripserit, hæc nihil ei prodesse, neque creditoribus præjudicare: sed illis licentia sit omnia perscrutari quo volunt modo: heredes autem contentos esse iis quæ a testatore dicta sunt. Sitque pœna negotii inter heredes, ut qui adversatur iis quæ relicta sunt, eis non possit omnino frui: necessitate imminente aut obedire omnibus, aut universa contemnere, et non hæc quidem eligere, his vero resultare, sed defuncti voluntatem ab ejus successoribus ita servari, ut in nullo ei contradicere præsumatur. His valentibus in reliquo tempore universo, et in omni negotio nondum moto in iudicio, neque judiciali sententia aut interventione amabili transacto.

EPILOGUS.

Tua igitur eminentia, quæ placuerunt nobis et per hanc sacram declarata sunt legem, cognoscens, solemniter per programmata propria manifesta faciat universis. — Dat. 15 kal. sept. Constantinop., post consulatum BELIS. V. C. anno secundo.

TIT. III. — 1. Adde L. 1, C. arbit. tot. — 2. Authent. Quod obtinet, C. de probationib. — 3. L. 10, C. commun. virisque judic. — L. 1, C. arbit. tot. — L. 81, § 4, D. de legat. 1: L. 77, § 25, D. de legat. 2: L. 15, in fin. D. ad leg. Falcid.: adde L. 5, D. de iure fisci. — 4. L. 11, § 1, D. de interrogat. 1: L. 6, L. 7, C. de probat.

TIT. IV.

DE HIS QUI INGREDIUNTUR AD APPELLATIONEM: ET QUANDO PER SCRIPTURAM MANUS PROPRIÆ FIAT COLLATIO LITERARUM: ET DE JUREJURANDO DILATIONIS ET UT CONJUNGANTUR JUREJURANDO CALUMNIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XLIX.

Imp. JUSTIN. AUG. Joanni præfecto prætorio, iterum exconsuli et patricio.

PRÆFATIO.

Volubile hoc et humanum, et quod manere idem nunquam valet, sed fit quidem semper, manet autem nunquam: et legislationibus introducit aliquem tumultum, et iis quæ videntur se habere recte et firme posita judicantur. Sed et ea quæ subtili observatione cauta sunt, plerumque turbavit emergentium varietas causarum. Scimus enim, quia dudum correximus⁴ quod male et dolose circa appellationes agebatur: quia hoc solo ut cognitionem introducerent in iudicium appellantes contenti, et personam facientes firmam, aut per⁵ unam partem, aut etiam per cognitionem (hoc enim indifferens est) relinquebant causam: et victori omnino erat inexplicabilis victoria, non valenti neque iis quæ erant iudicata, frui propter appellationem, neque appellationem examinari posse propter absentiam appellantis. — § 1. Hæc⁵ nos dudum sancientes correximus⁴, annum quidem deputantes appellationem offerenti, sive ipsi secundum se ingredienti, sive communiter: quatenus intra hanc litem exequatur, et mereatur quæ justa sunt, et non relinquat ea sine provisione, deinde propter clementiam, si per occasionem iudicis appellatio prolongetur, aut per aliam quamlibet causam inevitabilem, etiam alium adjicientes annum: post quem nisi litem compleverint, ratam manere victoris sententiam sancimus. Hæc itaque placuerunt nobis, et communi lege conscripta sunt: et obtinere legem hanc volumus, et observationem illius. — § 2. Sed plurimi interpellaverunt nos, dicentes se quidem denunciassent appellantis, et voluisse litem examinari: non tamen ab ipsis iudicibus impetrare valuisse, propter quasdam forsitan inevitabiles occupationes. Alii vero etiam ventorum⁶ immensitatem accusaverunt: et quia navigare non licuisset de provincia, contrariis flantibus ventis: per terram vero venire non valentes propter inopiam, aut certe quia in insula commanentes, aliter nisi per mare venire non poterant: et propterea non valuerunt examinare usque ad finem negotium, neque secundo anno: et quidam tempestatum acerbitatem, alii languorem inevitabilem, quæ omnia ex ipsis agnoscimus rebus nobis insinuat. Unde nos hæc juste moverunt, et legem transcendere nolentes, et iis qui per talem quandam fortunæ circumventionem læduntur, dare præsidium possibile cupientes.

CAP. I. Ut imminente biennii fine appellationis causa pertractetur.

Quid ergo agere oportebat, nisi ad legem aliam respicere, quæ digne causam juvaret? Observatio si quidem reliqua prædictæ legis nostræ (sicut prædiximus) per omnia custodiatur. Si vero pro veritate inevitabile quiddam evenierit: et qui appellationis litem exsequitur, non observet: et licet ingressum et fatalem fecerit, non occurrat: et periclitetur biennii compendio tempus: tunc confirmari victoris sententiam, (quod etiam prior nostra dicit lex) sed cum quadam subdivisione, quam in præsentibus adjicimus. Quia enim victores juvenimus immensitatem temporis fingentes iis qui appellationem quidem et per fatalem ingrediuntur, non tamen ulterius examinationem subire volunt, aut etiam in mediis certaminibus relinquant eam, propterea parvo quodam victores minuentes, consideravimus bene forte quod deceat. Volumus etenim eum qui vicit causam, si voluerit pro veritate firmari sententiam: non ex circumventionem, nec tempore quodam, sed ex ipsa rerum veritate (etiam deserente eo qui appellationem obtulit) ingredi: et hoc ipsum accusare et quærere desertorem: et sive invenire eum valuerit, sive illi non appareat, suas allegationes deducere ad medium: quippe biennio instante: ad finem tamen, ita ut unus forte supersit negotii mensis: et siquidem apparuerit superior, firmam esse sententiam: si vero inferior circa certamina, etiam eo qui appellationem obtulit, et fatalem ingressus est, non observante causam suscipiat ex jure decretum. Illo tantummodo adjecto, ut sive obtineat causam is qui etiam prius vicit, sive circa eam minor inveniat, expensas ei modis omnibus post appellationis ingressum factas deserat præstet. Sive namque obtineat causam occasione expensarum: secundum hoc

TIT. IV. — 1. L. ult. § 4, C. de temp. et repar. appell. — 2. L. ult. D. ad SC. Trebell. — 3. Authent. Et qui appellat. C. de temp. et repar. appell. — 4. L. ult. § 4, C. d. t. — 5. Adde L. 2, § 5, D. si quis cautionib.

ipsum quod etiam vincit, recte justum est etiam expensas accipere: sive minor veniat, eo quod omnino ille deseruit: et contingit eum etiam deserentem vincere: expensas quidem præstet: sententia vero fruatur, gratias agens Deo, et præsentem legi ita justitiam sibi servanti, et tantummodo in expensas damnificanti: quibus non lex, sed ipse absens se damnificavit. Si vero neuter occurrit, neque victor, neque victus, qui etiam secundum fatalem postea ingressus deseruit, sententia victoris maneat firma: omnibus reliquis super appellationibus scriptis legibus, existentibus et in spatiis temporum, et in aliis, hanc enim legem specialiter super iis qui post ingressum fatalis factum deserunt, ponimus nihil aliarum legum aut temporum appellativorum neque perimentes, neque permutantes: firmas igitur eas etiam per hanc ponentes legem. — § 1. Illud quoque determinare optimum est: siquidem victores contingit jam sententiam promereri, firmas declarantem eorum victorias: his eos frui: nihil enim eorum quæ jam determinata sunt, commovemus. Si vero hactenus pendet, biennio instante, et nondum transacto: et nondum decreto firmate: etiam istæ eandem mereantur examinationem: et ita potiantur victores sententiis, si eas recte habere monstraverint.

CAP. II. Ut ex solis documentis publice celebratis comparationes fiant, exceptis privatis, quibus adversarius pro se utitur.

Illud⁶ etiam judicavimus huic oportere adici legi: Quia enim dudum scripsimus legem⁷ volentem ex propriæ manus scriptura nullam fieri comparationem, sed ex solis documentis publice celebratis: videmus autem causarum experimentum egere competenti correctione in lege: et hoc ex ipso litigantium invenimus experimento: emendare eam secundum hoc volumus schema. Crebro namque proferens quidam cujusdam manus documentum, et ex ea faciens aut conventionem, aut suarum allegationum probationem: cum ejusdem manus adversa pars protulisset literas, et legitimam probationem exinde vellet fieri, ex quibus ipse adversarius illud obtulerat: ille utebatur lege⁸, quia oportet ex publice confectis documentis fieri comparationem, et non ex aliis quæ a quoquam scribuntur. — § 1. Sancimus, si quando aliquid tale contigerit, et quispiam voluerit secundum eas quæ ab adversario prolatae sunt literas, fieri examinationem, non accusetur hoc tanquam non recte sit factum. Cui enim ipse credidit, et quod protulit is contra quem ex quo suas affirmat allegationes, hoc non accuset: neque prohibeat comparationem literarum ad eum fieri: licet contingat esse documentum manu cujuscuque conscriptum. Neque enim ipse sibi resistit, et quæ affirmavit, hæc accusat. — § 2. Si vero etiam ex publicis archivis proferatur charta, velut de suscepto descriptio, mensæ gloriosissimorum præfectorum: (novimus enim etiam aliquid tale quæsitum) et quod ex publicis archivis proferatur, et publicum habet testimonium, etiam susceptibile hoc esse ad collationes manuum ponimus. Ubique enim falsitatis peccatum odio habentes, et jusjurandum⁹ præbere discutientes, et eximentes literas sancimus, et ex publicis solummodo documentis comparationem fieri permittimus. Quapropter valeat per omnia lex illa præsentibus subdivisione delata ei, jurejurando tamen comparationis modis omnibus prohibendo.

CAP. III. De¹⁰ juramento præsentis hypothesi cum juramento calumniæ jungendo.

Quia¹¹ igitur nos pro reverentia litigantium volumus mox in principio¹² litis jurare litigantes: actores quidem, quia¹⁵ non calumniantes inferant lites: fugientes vero, quia credunt satisfactionem competenter se facere, et non causa contentions: et hanc communem posuimus legem contra omnem personam, modis omnibus hoc nulli concedentes. Illud quoque adjicimus, ut si quis probationem petierit, quantum suorum sermonum aut literarum: juret prius, quia non dilationis causa hoc agit: multi namque sola injuriæ causa, et maxime super nobilibus mulieribus, sive literarum probatio objiciatur, sive alia quælibet causa, ad jusjurandum hoc concurrunt: ut in uno negotio frequenter jusjurandum præbeatur. — § 1. Sancimus igitur, hanc perimentes injuriam, et nolentes crebro in eodem negotio jusjurandum præberi: ut utraque pars, dum una quidem de calumnia sacramentum præbuerit: alia vero quia justam putans reluctationem esse litis, adjiciat, quia in tota lite sicubi quæsierit probationes adversarium suum, non per occasionem dilationis hoc faciat, sed pro veritate: necessariam sibi a suo adversario exhibendam putans probationem: et si hoc juraverit sacramentum nequaquam penitus (licet crebro requirenda sint probationes) ab alterutra parte expeti sacramentum: sed, dari probationes, et non crebro cogi quemquam sacramenta subire, generaliter semel hujusmodi sacramento prohibito.

6. Authent. Ad hæc, C. de fide instrument. — 7. L. 20, C. d. l. — 8. d. l. 20. — 9. d. l. 20, circa fin. — 10. N. Leon. 99, 107. — 11. Authent. Hoc sacramentum: Authent. In isto, C. de jurejur. propter calum. — 12. L. 1, C. d. t. — 13. L. 8, § 5, D. qui satisfacere: L. 9, § 3, D. de edendo: L. 44, § 4, D. famil. erisc.: L. 15, D. ad exhib.: L. 34, § 4, L. 37, D. de jurejur.: L. 11, § 1, D. de act. ærum amol.: L. 15, § 3, D. de damno infecto: L. 1, C. de ju-

EPILOGUS.

Quæ igitur visa sunt nobis, et per hanc sacram declarata sunt legem, tua celsitudo omnibus faciat manifesta, edictis a se directis, ut omnes agnoscant quæ nobis sunt placita. — Dat. 15 kal. septemb. CP., post consulatum BELIS. V. C.

TIT. V.

CONSTITUTIO AD BONUM QUÆSTOREM EXERCITUS ORDINAT APPELLATIONES A QUINQUE PROVINCIIS, CARIÆ, ET CYPRO, ET CYCLADIBUS INSULIS, ET MYSIA, ET SCYTHIA, APUD QUEM OPORTET EAS EXAMINARI.

NOVELLA CONSTIT. L.

Idem Imp. Bono gloriosissimo quæstori Justiniani exercitus.

PRÆFATIO.

Scimus antea divinum facientes constitutionem² secundum quam tua gloriæ tradidimus quinque has provincias, Cariam et Cyprium, et in circuitu positas insulas, et ad hæc Mysiam, sed et Scythiam, ad hoc ut functiones suscipiant sub tua gloria: addentes et evocatas factas lites per dictas provincias, non amplius ad gloriosissimos nostros præfectos, sed ad tuam remitti magnificentiam. Quoniam igitur multi adierunt nos ex Caria, et Rhodo, et Cyprio, moleste ferentes et dicentes cogi sæpe et hycem tempore fieri secundum Scytharum et Mysorum [terram] ubi degis, et illic appellationes, forte neque super magnis pecuniis exercere et periclitari, et maria peragrantes longa, et appellentes in regiones a Barbaris infestatas: propter hoc perspeximus hanc legem scribere ad tuam gloriam, ut venientes quidem ex Scythia et Mysia lites, tanquam ex propinquis existentes, tua gloria per se audiat: alias vero, id est ex Caria, et predictis insulis, et Cyprio, si quidem ab initio apud gloriosissimos nostros præfectos motæ sunt, ex divina jussione nostra traditis simos præfectos magistratui, siquidem advenis in hanc regiam urbem, et ipsas sub te moveri et examinari una cum gloriosissimo quæstore sacri nostri palatii in sacro auditorio (quemadmodum et super appellationibus, posita introducti lex.) — § 1. Si vero ipse in Scythia et Mysia commoreris, apud eum qui locum implet tuum in hac felici urbe, introduci appellationes: omnino siquidem factum ipsum una cum gloriosissimo nostro quæstore, hypothesin audire secundum harum examinationum schema, et minime homines dictas sustinere dyscolias, sed sub ipsis in communi, secundum a nobis prius dictum, iudicari, propterea quod præbuerunt nobis causam, ut ita ordinarem legem, ut cum majore et grandiore diligentia et auctoritate causæ exerceantur. — § 2. Si autem ipse des iudicem in predictis superius provinciis, is qui officium sustinet tuum in hac felici civitate, audiet, prout et a gloriosissimo præfecto constitutum est. Si enim inchoari apud tuam gloriam contingat litem, hic, ut probabile est, inventam, postea vero in medio propter militares impensas emigrare, ipsam absque mora impleri apud tuam habentem officium, sicut ipsam et ipse audisses. Si vero ab initio non a gloriosissimis præfectis appellatio ex quibusdam provinciis remittatur, sed in aliud iudicium, antiquitatem omnino non innovamus.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt, et per hanc sacram manifestata sunt legem, tua gloria operi et fini tradere, et custodire in perpetuum, festinet. — Dat. 15 kal. septemb. CP., DN. JUSTIN. P. P. A. anno 11, post BELIS. V. C. consulat. Indict. 1.

TIT. VI.

SCENICAS NON SOLUM SI FIDEJUSSORES PRÆSTENT, SED ETIAM SI JUSJURANDUM DENT, SINE PERICULO DISCEDERE.

NOVELLA CONSTIT. LI.

Imp. JUSTINIANUS AUGUST. Joanni præfecto prætorio, iterum exconsuli et patricio.

PRÆFATIO.

Novimus³ pridem facientes legem⁵ interdicens nulli licentiam esse

rejur. propter calum. 1, L. 9, C. de reb. cred. 1, L. penult. C. quemdam. testam. oper.: L. ult. C. de questionib.

TIT. V. — 1. N. 41. — 2. d. N. — 3. L. ult. C. d. t. — 4. N. 14. — 5. Authent. Quod eis, C. de nuptiis. — 6. L. ult. C. d. t.